



# QUÆSTIO MEDICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
mane discutienda, in Scholis Medicorum,  
die Jovis vigesimâ secundâ Novembris.*



M. PHILIPPO CARON, Doctore  
Medico, Praeside.

*An temperamentum Melancholicum à sale fixo?*

## I.

**H**ABET homo à mente, formâ suâ, unde homo sit, à mechanicâ partium dispositione, ipsarumque motu, undè corpus vivens. Vita, caloris in humido permancio definita est. Flammae simillimam esse constat. Ad eam materia subtilis requiritur quæ ipsa donata motu cœteras partes exagit: sulphureæ simul & salinæ pabulum suppeditant: quibus dissipatis fugit vita, concretis extinguitur. Tām diū durat, quam diū conflagratio, ab hoc motu reliquorum igneorum instar expansivo, motus omnes ad sensus, cœterasque viventis functiones. Ab eo præparantur succi, moventur organa quæ eos deferunt, cœntur motu intestino partes quæ solidæ dicuntur, quæ propter excipiunt succos appellentes, seceriunt, conservant, aut egerunt. Actione igitur vivit animal quæ moritur, sed eodem reponitur tempore, undè quid iisdem ornatum affectionibus subjecti nomen sustineat. Solidæ enim quæ vocantur partes æquæ ac fluidæ, ejusdem sunt hac in re conditionis.

**F**UNCTIONUM in vivente differentia propria à temperamento dicitur qualitas præpollens cæteris, emergens ex mixtionis pugnâ, præcipuum functionum instrumentum. Reverâ qualitas est effectus temperamenti signumque, ut principia justâ proportione commoderata, temperamentum ipsum. Quod ad pondus vocant, votis expetitum, nusquam conspectum; quod ad iustitiam dicitur, id potissimum est actionum quæ in partibus obeuntur principium, adeoque motus illius qui vita fons est & reliquorum auctor. Hinc mitis acrisve calor, vehemens segniorve flamma vitalis, constantior aut minus æqualis. Hunc motum consequuntur spirituum generatio continua ipsaque eorum natura semper redolens originem suam: agitatio varia humorum ac inde pendentes corporis totius affectiones, ipsis menti cogitationum occasionses. Licet autem principia in jugi sint fluxu, idem tamen manet temperamentum aut raro mutatur omnino, quia dum alimenta sumuntur, ut in viventis substantiam convertantur, hæc intimè commovens, quam à suâ dispositione naturam habent, planè subvertit, eâ post modum impressâ quæ convenit nutriendo. Rarius autem ab externis mutantur radicibus interiora, quod ubi contingit, temperamentum immutatur, corruptitur.

**M**I X T A resolvuntur in simplicissima sensilia salem, sulphur, mercurium, aquam & terram. Ex iis constant in quæ resolvuntur. Principia autem vires obtinent, proprias, mixtione vinclatas, sed non destructas. Et magis conspicuæ, quo principium liberius à cæteris, aut quocumque modo præpollet. Spiritus subtilissima mixti portio, mobilissima, cætera principia exagitat pro majori sui copiâ eorumque dispositione. Avolaret citò ni ab aliis coerceretur, quæ ubi subigit principia hæc & moderatur & temperat, ordinat cuncta perficiens. Sulphur ramosarum partium spiritus & sales complectitur, inflammabile. Sal soliditate suâ & rigiditate firmitatem tribuit mixtis, texturam eorum sustinet, solutioni obstat & putredini. Variæ tamen conditionis conspicitur. Qui longâ spirituum agitatione volatilis

factus cum sulphure miscetur, ejus inflammationem promovet. Qui fixus mansit, prohibet aut tardat. Hinc nitrum cum sulphure pulverem pyrium producit, sal marinus in ignem projectus, eum extinguit.

## I V.

**I**N T E R varia temperamenta, analogiâ quâdam, melancholicorum ordo duplex censetur. Alter asininus qui in omni functione tardos, timidos, stupidos homines reddit. Alter constantes, ingenio præstantes, ad omnia rectè dispositos. Uterque à sale fixo prædominante, originem; differentiam, à fixitate intensiori, minorive sortitur. Est sal omnino fixus; ut agros steriles reddit, itâ hebetes facit homines. Rigi fixique humores quasi concreti interiori motu carent. At qui à sale minus fixo conflagrant succi, spiritûs emittunt pernicioses, à quibus dûm variae tentantur viæ, cogitationum occasiones fiunt menti; dûm cuncta moventur organa functiones corporeæ omnes vegetius exercentur. Hic nimilum cum sulphure flammam potenter excitat vitalem, quæ à rigiditate principii præpollentis vim obtinet plurimam, cùm ad effectus, tûm ad durationem: spiritu, qui salis istius comes est suum ad soliditatem symbolum conferente. Quocircâ si societati & facetiis minùs accommodati melancholici, iidem nihilominùs ad munia graviora, ad consilia difficilia habiles. Constantes non facile dissipantur, à sensuum impetu non abripiuntur in diversa. Magna, immania tranquilli vident. His delectantur quæ terrent alios.

## V.

**C**RASSUM limosumque sanguinem melancholicum dixerunt omnes. Spumæ tanquam facem opposuerunt. Hinc ejus pondus fixitatemque demonstravere. Unde hæc profectò à principiis quibus constat. Terram accusare prædominantem non sat is est. Terra quippè si sola, si præcipua causa, nullus erit effectus: nisi ut massa fiat ad actionem omnem prorsùs inepta, quæ vix sibi cohæreat. Necesse igitur, ut concrescat, & ab alio figatur. Hæc veluti rapitur ad motum à sale quo cum societatem inire confuit. Fixior iste sal inhæret terræ, ad imum simul fertur, concrescent simul, diluenda non majori labore. Erunt & usus

non parvi ad motūs varios. Commisceantur ex facili, mixtis  
soliditatem conciliant, reliquorum abrepta motu principiorum,  
æqualitatem roburque addunt. Pondus densamque  
texturam conservantes, continent quæ citius avolant, co-  
hibent dissipationem.

*Ergo temperamentum Melancholicum à sale fixo.*

Domini Doctores disputaturi.

*M. Alexius Littre.*

*M. Ludovicus de Vaux,* *M. Petrus Ton.*

*Chirurgie Professor.*

*M. Philippus-Ignatius Sauz.*

*M. Petrus Marau.*

*M. Antonius de Saint-Ton.*

*Medicus Regis ordinarius,*

*Op. Schola Professor.*

*M. Petrus-Joannes Burette.*

*M. Carolus Contugi.*

*M. Joannes Roberti.*

Proponebat Parisiis JACOBUS-SIMON DE LA RIVIERE  
GILLES, Cenomanus, Baccalaureus Medicus.

A. R. S. H. 1696.

---

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ  
Typographum.